

APHTHONII  
CLARISSIMI RHE

TORIS PROGYMNASMATA,  
IOANNE MARIA CATANAE O

interprete, nunc denuo recognita iuxta veritatem

Græci exēplaris & scholijs illustrata per Ioan-

nem Laurentium Palmyrenum Alcan-

nizensem ludimagistrum Valen-

tinum. D. Hieronymæ Ri-

bote dicata.

Acceßit etiam ex Hermogenis sententia, quo  
modo status causæ cognosci debeat



Ex officina Ioannis Mey Flunfr.

VALENTIAE.

1552.

Prostant exemplaria apud Antonium Sanahuian  
sub scuto Beatae Mariae & D. Antonij.

STEMMATVM ET IN-  
GENII NOBILITATE CLARIS-  
simæ. D. Hieronymæ Ribotæ ac Ri-  
bellæ Alcudiæ & Refalani dominæ  
vtriusq; linguæ peritissimæ  
Ioan. Laur. Pal. S. D.



Osteaquam meccenas optima  
è Valētia in oppidum tuū Al-  
cudiā feliciter concessisti, ho-  
nore aucta & potestate, rerūq;  
prouentu, nō licuit mihi tam  
frequēter quā̄ antea qualias  
cunq; meæ & gratitudinis, & obseruatiæ of-  
ficia erga te per literas præstare: hoc præser-  
tim tempore, quo totum hoc regnū bellicis  
tumultibus agitatur. Scripsi tamen aliquo-  
ties: at interim suspicor literas interceptas pe-  
riisse, quādoquidem nec Latinas, nec vulga-  
ri sermone à te scriptas, vt ante cōsueueram,  
accipio. Ne igitur amplius mendacibus ta-  
bellarijs mentiendi ansa relinquatur, nouam  
rem excogitauimus, publicū internuntium  
quæsiuimus. Valeāt iam isti grammatopho-  
ri? de quibus facilè crediderim, vaticinatum  
Homerum, cū̄ in hunc modū canit: Ετῶσιον  
ἀχθος

&χθος ἀρετῆς. Erit autem internuntius egregius  
 ille Aphthonius Sophista, non quales nobis  
 diu dedit Dialectica: sed quales olim dabat  
 Græcia Libani, Aristidis, Apolini, Sosipatri, Me  
 nandri, Lylia, Hermogenis, Cyri, Demetrii q̄  
 temporibus. Hic sua elegantissima *εὐακουσὴν* si  
 quando me ignauia accusabis, facillime tue  
 bitur me, coget & te palinodiam paruo tēpo  
 ris momento decantare. Possum equidem de  
 hoc autore idem affirmare, quod olim Stras  
 neus ille in epistola ad Angelā Zabatam Mes  
 coenatem meā de Lactantio protulit Mitto li  
 brū haftenus ab omnibus viris approbatum,  
 hoc vnū deerat, vt à fœmina probaretur. Is  
 meæ erga te obseruatiæ & gratitudinis testis  
 publicus existet. Spero hunc longè & gratio  
 rem tibi, & ab interceptorū insidijs tutiorem  
 fore, quàm fuerint, aut esse queant literæ pri  
 uatæ. Verū ne omnino ignotus ad te, hoc est  
 ad discipulam meā in vtraq̄ lingua exercita  
 tissimam perueniret, adiungi scholiola laco  
 nica, codicē Græcū cum interpretatione Ro  
 dolphi Agricolaë, Catanæi, Antonij Bonfinis,  
 Prisciani, summa diligentia contuli: meum  
 quibusdā iudiciū adhibui. Si hoc probas, da  
 bo in lucem propediem cōmentaria in Vluis

colloquia, & alia quibus nondum vulgus la-  
bra admouit, sed ipse condita seruo. Caue ve-  
rò munusculum ceu rem exiguam contem-  
nas. Nam quem tu exiguum atq; angustum  
putas, admirabilis est libellus. quoniam si ve-  
teres Ctesibium, & Archimedes iurè admi-  
rati sunt, quòd paruis machinis ingētes mo-  
les agitarent: Aphthonio sanè nostro sum-  
ma admiratio debeat, quòd hisce. 14. iuxta  
Fabij sententiã, minoribus operibus summos  
declamatores nobis passim ostēdat. Plura di-  
cere volētem typographus iam operi accin-  
ctus perturbat. Vale Meccenas optima,  
& hera nobilissima. Valentia.  
nono calendas Octobris.

Anno. 1552.



APHTHONII  
RHETORIS

progymnasmata, Ioanne  
Maria Catanæo in-  
terprete.

Definitio Fabulæ.



ABVLA A POETIS ORI-  
ginē duxit, qua etiam oratores vtun-  
tur, vbi admonere intendunt. Est autē  
fabula sermo falsus, veritatem effin-  
gens, vario modo appellata. Nam mo-  
dò Sybaritica, modò Cypria dicta est, mutatis pro in-  
uentorū varietate nominibus. Obtinuit tamen, vt po-  
tius Aesopica diceretur, eò quòd Aesopus omnium  
optimè fabulas cōscripserit. Fabularū quædā sunt ra-  
tionales, quædā morales, quædam mixtæ. Rationales,  
quibus fingimus hominē aliquid facere: morales, quæ  
irrationaliū morem imitātur: mixtæ ex vtrisque; ratio-  
nalibus & irrationalibus. Si admonitionē, cuius causa  
fabula inuēta est, præposueris, antefabulā nominabis:  
verū si postposueris, adfabulationem appellabis.

Species

Fabula formicarum & cicadarum, iunio-  
res ad labores adhortans.

A Estatis erat vigor, cum cicadæ continuam canti-  
lenam resumebant: at formicæ laboribus inten-  
tæ erant, vt fructus colligerent, quibus hyeme

A 3 vesce-

*Ad fabula-*  
*tio.* *vescerentur. Eaigitur superueniente, formicæ labo-*  
*ribus suis vescebantur; sed inopia, cicadarum oble-*  
*stationem subsequebatur. Sic iuuenis labores subs-*  
*terfugiens, sene etutem miseram ducit.*

Definitio narrationis.

*Species.*

**N**arratio est expositio rei factæ, vel tãquàm factæ. Differt autem narratio ab expositione, sicut à poësi poëma. Poësis enim, est tota illas: poëma autem, Achillis armorum descriptio. Narrationum aliæ sunt poëtica, quædam historica, aliæ ciuiles: poëticae sunt, quæ finguntur: historica, quæ veterum gesta narrant: ciuiles, quibus in controuersijs oratores vtuntur. Narrationi sex accidunt, persona agens, res gesta, quo tempore gesta sit, locus in quo transacta, modus quomodo, causa propter quam. Virtutes narrationis sunt quatuor, claritas, breuitas, persuasio, & verborum Latinorum electio.

Narratio super rosa.

*Persona*  
*Res.*

**Q**VI rosæ decorum admiratur, hic Veneris vulnus consideret. Adonin dea deperibat, Mars ipsam: hocq; erat Adonidi dea, quod Veneri Mars: deus amabat deam, & dea sequebatur hominem: par erat ardor, etsi genus differens. Mars riuialis Adonin de medio tollere decreuit, ratus Adonidis morte, pariter amorem Veneris interiturum: quare Adonin vulnerat: quod cum Venus rescisset, maturauit, vt opem ferret, festinabunda que rosæ occurrens, in spinas incidit, & in planta pedis transfixa

*Tempus.*

*Causa.*

fixa fuit. Itaq; sanguis è vulnere defluens, rosæ colorē *Modus.*  
 in suum transmūtavit. Nam rosam prius candidam, *Locus.*  
 in rubrum colorem, qui nunc cernitur, conuertit. *Tempus.*

### Definitio Chriæ.

**C**hriæ est commemoratio breuis, aliquam perso-  
 nam aptè referens: ideo Chriæ appellata, quòd  
 utilis sit. Chriarum aliquæ verbales, quædam *Species.*  
 actiue, aliæ mixtæ. Verbales sunt, quæ utilitatem ora-  
 tione significant: vt, Plato virtutis ramos, è sudoribus *Plato de*  
 ac laboribus produci dicebat. Actiue sunt, quæ actio- *virtute.*  
 nem declarant: vt, Pythagoras interrogatus, quantã  
 nam esset hominum vita, cum per breue temporis spa-  
 cium se conspiciendum dedisset, latebras petijt: men-  
 suram vitæ ex momentaneo conspectu designans. Mix-  
 tæ verò sunt, quæ ex vtrisque, oratione & actione cõ-  
 sistüt: vt, Diogenes intuitus adolescentulũ lasciuum,  
 pedagogũ percussit, superaddens, cur talia instruis?  
 Hæc igitur Chriæ diuisio, quã capitibus his cõficiet,  
 laudatiuo, ab expositione, causa, cõtrario, compara-  
 tione, exemplo, testimonio antiquorũ, epilogo breui.

### CHRIA VERBALIS.

#### Expositio Chriæ.

**I**socrates doctrinæ radicem amarã esse dicebat,  
 fructus verò dulces. Meritò Isocrates ob dicendi *A lauda-*  
 artem laudandus est, qua sibi nomen clarissimũ con- *tiuo.*  
 parauit, quantaq; esset, ipsam exercendo demonstra-  
 uit, eamq; illustrem fecit, non ipse ab illa illustratus  
 est. Longum ergo esset differere, quæcunque reges



cum admonendo, tum persuadendo sigillatim mortali-  
 lium vitam beneficio affecerit. Cæterum qualia de  
 eruditione verissimè protulit? Qui studia amat, à la-  
 boribus inchoat, laboribus tamen in utilitatem desi-  
 nentibus. Hæc sunt quæ philosophicè scripta, ex se-  
 quentibus admiranda esse cõprobauimus. Qui enim  
 bonis artibus capiuntur, hi sanè cum professoribus do-  
 ctinarum conuersantur: ad quos accedere, formido-  
 losum: & eos deserere, indoctissimum est. Metus sem-  
 per pueros tenet, siue præceptorem intueantur, si-  
 ue ad illum venturi sint. Succedunt præceptoribus  
 pædagogi, visu terribiles: sed dum verberibus sæui-  
 unt, formidolosiores. Qui etiam priusquam verbe-  
 rent, timentur: timori punitio succedit, dum puerorũ  
 peccata castigant, & domestica virtutis opera iudi-  
 cant. Pædagogis patres asperiores sunt, filiorum vias  
 indagando, ad se propius accedere imperando: in-  
 primis eorum in foro conuersationem suspicando:  
 quod si opus fuerit in filios animaduertere, ita excans  
 descunt, vt se parentes esse obliuiscantur. Verum hu-  
 iusmodi rebus puer consuescens, postquam in virum  
 euaserit, merita virtute coronatur. Quod si aliquis  
 hæc veritus, præceptores fugiat, parentes deuitet,  
 pædagogos auertat, omnino dicendi scientia priua-  
 bitur, & metus causa, eloquentia carebit. Hæc igitur  
 omnia Isocratem sentire persuaserunt, eruditio-  
 nis radicem amaram esse. Nam quemadmodum agri-  
 colæ, summo cum labore terræ semina mandant, fru-  
 ctus verò maiore cum voluptate colligunt: ita eru-  
 ditionem vendicantes vigilijs, sibi apud posteros glo-

**Ab exposi-  
 tione.**

**A causa.**

**A cõtrario.**

**A compara-  
 ratione.**



riam compararunt. Demosthenis vitam inspice su- Ab exēplo  
 per omnium oratorum laboriosam, id circo ceteris  
 gloriosorem. Adè enim studio intentus fuit, vt co-  
 mam capitis ornamentum, sæpius deposuerit, ratus  
 id bellissimum decus, quod à virtute prouenisset.  
 Igitur quæ alij voluptatibus dispensant, ea ille la-  
 boriosis lucubrationibus impendit. Itaque non me- A testimo-  
 diocrem laudem Hesiodus meretur, vbi asserit vir- nio antiquo  
 tutis viam asperam esse, cacumen verò planum: rum.  
 nam idem, quod Isocrates, protulit. Hesiodus enim  
 viam, Isocrates autem radicem appellauit, diuer-  
 sis verbis eandem vterque sententiam demonstran-  
 tes. Quæ si rectè considerabimus, Isocratem me- Ab epilogo  
 ritò laudabimus, vt qui sapienter de eruditione, bel-  
 lissima conscripserit.

### Definitio sententiæ.

**S**ententia est sermo compendiosus in enunciatio-  
 nibus, quæ nos ad aliquid exhortatur vel de- Species.  
 hortatur. Sententiarũ aliæ sunt exhortatiuæ, aliæ  
 dehortatiuæ, quædam enunciatiuæ, nonnullæ simpli-  
 ces, quædam coniunctæ, aliquæ persuasiuæ, aliæ ve-  
 ræ, aliæ excessiuæ. Sententia adhortatiua est, vt il-  
 lud: Dedecus est totam consultum stertere noctem.  
 Enunciatiua, vt illud: Opus est profectò pecunijs, si-  
 ne quibus nihil oportuni fieri licet. Simplex, vt il-  
 lud: Vna avis addicat patriam seruare licebit. Con-  
 iuncta, vt illud: Non mihi sint plures domini, rex vni-  
 cus esto. Persuasiva, vt illud: Talis est vnusquisq; qua  
 les ij, quorũ consuetudine oblectatur. Vera, vt illud:

Nulli licet inuenire vitam sine tristitia. Excessiua,  
 vt illud: Debilius nihil terra facit mortalibus ipsis.  
 Hæc igitur sententiæ diuisio, quã ex capitibus Chriæ  
 conficies, laudatiuo, ab expositione, à causa, à con-  
 trario, comparatione, exemplo, testimonio antiquo-  
 rum, epilogo breui. Differt autem Chria à senten-  
 tia, quòd Chria aliquando actiua est, sententia in or-  
 ratione semper consistit: at Chria personam requirit,  
 sententia verò sine persona pronunciat.

Sententia exhortatiua.

A laudati-  
 uo.

Ab exposi-  
 tione.

A causa.

**T**heognis poëta dixit: Pauperiem qui Cyrne  
 fugit, se præstat ab altis in mare verticibus  
 mittere cetiferum. Prouidit Theognis, ne iu-  
 re poësim accusaremus, fabularum loco, præcepta sa-  
 pientiæ complexus. Nam cum poëtas, fabulas pluri-  
 mi facere videret, eas omittendo, bene viuendi præce-  
 pta metro composuit: simulq; metrorum gratiã ser-  
 uata, præceptorum utilitatem introduxit. Pluribus  
 ergo Theognim cõmendare, præsertim in ijs, quæ ve-  
 rissimè de paupertate conscripsit, possemus. Quid-  
 nam igitur dixit? Qui vitam in miseria ducit, mo-  
 ri potius amet: multò enim melius à vita discedere,  
 quàm solem sui dedecoris testem habere. Hæc sunt  
 quæ ex philosophorum dogmate protulit. Licet au-  
 tem considerare, qua ratione motus, eleganter ipsa  
 tractauerit. Nam qui in paupertate viuit, à teneris  
 annis ad virtutes non instituitur: in robusta verò  
 ætate pessima queque consecretur. Si enim lega-  
 tionem gerit, patriam pecuniarum gratiã prode-  
 at

ad argentum in concionibus perorabit: & sortitus iudex, pro suffragijs dona suscipiet. At qui paupertate non premuntur, nequaquam similes existunt. Nanque à pueris optima exercent: viri effecti, omnia splendide faciunt: ad festa enim celebranda, & ad bellum gerendum, largè pecunias conferunt. Ac sicut vinculo graui detenti, impedimentū benefaciendi vinculum habent, ita liberè loquendi egenis inopia obstaculo fit. Contemplator Irum, qui quanquam Ithacensium vnus fuerit, eandem tamen ciuibus alijs dicendi libertatem non obtinuit. Quinimò tantum ipsi inopiæ fuit, vt appellationem paupertate mutauerit. Arneus enim primò vocatus est, postea Irus appellatus, id ab administratione cognomentum assequutus. Verùm quid Irum opus est recensere? cum Ithacæ dominus Vlysses, quando in patriam suam impulsus, paupertatem simulauit, paupertatis malorum particeps fuerit, domi suæ à temulentis ministris percussus, & iniuria affectus. Adeò paupertas, meo iudicio, durares est. Quare non immeritò Euripides laudandus est, qui nihil possidere, rem malam esse refert: neque posse nobilitatem, paupertatem immutare. Itaque Theognin quibusnam satis dignis laudibus prosequemur, qui talia de paupertate ex penitissimo sacrario philosophiæ protulerit?

A cōtrario.

A comparatione.

Ab exëplo.

A testimo-

nio antiquo

rum.

Ab epilogo

### Definitio confutationis.

**C**onfutatio est alicuius rei propositæ destructio. Confutanda autē non quæ nimis manifesta, nec quæ omnimò impossibilia sunt, sed quæcunq; medium



medium quendam ordinem seruant. Neceſſe eſt, qui confutare querunt, primò dicentibus calumniam intendere, deinde expoſitionē rei ſubiungere, hiſq; capitibus vti: primò quidem obſcuro, & incredibili, ad hæc impoſibili, & inconſequenti, ac indecenti: poſtremò inferre inutile. Hæc præexercitatio omnem artis vim in ſe continet.

Confutatio quòd non veriſimilia,  
quæ de Daphne dicuntur.

Proœmium  
ex dicentiũ  
calumnia.

**A**bfurdum eſſet poëtis contradicere, niſi nos ipſi aduerſus ſe concitaſſent primùm, in deos abſona conſurgendo. Stultũ igitur eſſet illos nullam deorũ rationē habere, nos verò poëtarũ ſcri-

Proœmij  
alia propoſi-  
tio.

ptis parcere. Omnes quidē deos cõuicio affectos eſſe moleſtè ferebam, in primis tamen Apollinem, quem ſibi poëta ducem elegerunt: qualia enim de Apol-

Ab expoſi-  
tione.

linis Daphne fabulati ſunt? Daphne (ita dicunt) eſt Terra & Ladone nata eſt: cum que multũ forma præſtaret, ad ſui amorem Pythium induxit. Itaq; illam deus perſequebatur, & perſequendo non conſequebatur: verũ Terra filiam ſuam ſuſcipiens, in eiufdem puellæ nominis arborem tranſmutauit, qua coronatus Apollo fuit: ex ea enim arbore corona Tripodi Pythio propoſita eſt, quoniam Deus puellam mortalem dilexiſſet, laurusq; vaticiniũ indicium

Ab obſcu-  
ro.

effecta. Hæc ſunt quæ fabulantur, veruntamen ea nos ex ſequentibus confutare poſſemus. Daphne nata eſt ex Ladone & terra? Et quomodo credibile eſt, ita genitam eſſe? hæc enim fœmina fuit; ſed pa-

rentes



rentes diuersam ab ipsa naturam adepti sunt. Quo- Ab incredi-  
 modo Ladon Terræ copulatur, aquis inundans? ergo bili.  
 omnia flumina terræ mariti nominabantur: omnia  
 nanque ipsam immergunt. Sin autem à fluuio nas-  
 ta est fœmina, possibile igitur est, fluuium ab ho-  
 minibus nasci: nam per successiones parentes indi-  
 cantur. Cur dicunt factas nuptias, inter fluuium &  
 terram, cum Hymenæus rerum sensibilibus sit, terra  
 autem sensibilis non sit? aut igitur Daphne inter flu-  
 mina recensenda est, aut Ladon inter homines con-  
 numerandus. Sed poëtis è Terra & Ladone Daph-  
 nen nasci concedamus. Puella nata, apud quos edu-  
 cata est? nam etsi generationem concessero, impos-  
 sibile tamen est educationem procedere. Vbi enim Ab impossi-  
 puella victū habebat? per Iouem apud patrē: & quis bili.  
 hominū in fluuio viuit? illam'ne pater fluctibus sub-  
 mergendo, vel fluminibus educando abscondit? at  
 sub terra apud matrem puella degebat: ergo latuit,  
 ac latendo spectatorem habere nequiuit: cuius au-  
 tem forma latuit, amoris principium habuisse non  
 admittitur. Si vis, hoc etiā Poëtis concedamus. Quo- Ab indec-  
 modo Deus amabat, & amare diuinam naturam men- centi.  
 tiebatur? Amor enim mortalium rerum pessima est,  
 ac impium est asserere Deos grauisima committere:  
 Siquidem in omnibus rebus, ac nos dii molestijs affi-  
 ciuntur, quid à mortalibus differunt? quod si grauis-  
 simo amoris morbo subiecti sunt, non'ne vulgaribus  
 similes existunt, cum asperissima quæque sustineant?  
 Sed neque amore, deorum natura afficitur, neq; Py- Ab inconse-  
 thius amator Daphnes extitit. Quomodo Phœbus quenti.  
 puellam

puellam persequendo, cursu superatus à mortali fuit? Viri mulieribus præstantiores sunt, & fœminæ maius dijs robur habuerunt? Quod viris minus est, qua ratione Deos excellit? cur mater fugientem filiam suscepit? an'ne inter vilia nuptiæ connumerandæ sunt? quæ si sunt, cur ipsa mater facta est? quòd si nuptiæ inter bona censentur, cur filiam bonis priuauit? Aut ergo mater non fuit, aut si fuit, mala reputatur. Cur operibus suis terra repugnabat? Apollinem contristat, vt filiam seruet: rursus eundem demulcet, dum ipsam in lucem producit: illum demulcere non oportuit, si contristare voluit. Cur Deus apud Tripodas lauro coronatus est? laurus voluptatis index fuit: at virtutis signum diuinitas ostenditur. Quomodò diuersa natura cõiunxit Apollo? cur mortalis quidem amica, immortalis verò amator? Iam finem accusandorum Poëtarum faciam, ne aduersus illos orationem habuisse videar.

Ab inutili.

Ab epilogo  
breui.

### Definitio confirmationis.

**C**onfirmatio est alicuius rei propositæ approbatio. Confirmanda autem sunt, non quæ admodum manifesta, nec quæ omnino impossibilia sunt, sed, quæcunque ordinem medium seruât. Qui cõfirmare intendunt, omnibus capitibus consutationi contrarijs, vtantur: primò quidem: vt dicentis laudem dicant: deinde per partes expositionem ponant, & contrarijs capitibus vtantur: pro obscuro, dilucido: pro incredibili, credibili: & possibili, pro impossibili: consequenti, pro incõsequenti: decenti, pro indecenti:

centi: utili, pro inutili. Hæc exercitatio omnem artis vim comprehendit.

Confirmatio, quòd verisimilia sunt,  
quæ de Daphne dicuntur.

**Q**VI Poëtis contradicit, Musis ipsis contradicere videtur: quomodo enim Musis non contradicit, qui Poëtarum scripta damnare querit, si quæcunque Poëta loquuntur, hæc Musarum consilio differunt? Itaque omnium Poëtarum sententiam comprobo: illius autem maximè, qui Daphnen ab Apolline dilectam, sapienter protulit. Quenam autem sunt, quæ scribenti huiusmodi quidem fidem non adhibent? Daphnen è terra & Lodone natam dicunt. Cur hoc apud eos incredibile? non'ne aqua & terra omnia gignunt? non'ne elementa vitæ semen producant? Quòd si omne quod nascitur, à terra & aqua procedit, Daphne à terra & Ladone proveniens, communem omnem generationem confirmat. Genita autem vnde omnes nascuntur, cæteras forma superabat. Et verisimile admodum. Quæ enim primò è terra emittuntur, cum naturæ pulchritudine producantur. Multæ autem corporum mutationes constitutæ sunt, apud quas pulchritudo cernitur: quod verò primùm apparuit, id est omnium formosissimum. Itaque verisimile est, Daphnen è terra genitam, cæteris formosiore extitisse, ob cuius mirandam pulchritudinem, Pythius amore captus est: nec immeritò: quicquid enim pulchri cernitur in orbe, ad à dijs processit. Quod si inter humanas res felici-

Procemium  
A dicentiū  
laude.

Alia proce-  
mij propo-  
sitis.

Expositio  
rei.

A manife-  
sto.

A credibili

gior



- cior reliquis bonis est pulchritudo, cum sit deorum munus, illa iure deum amatorem habuit. Nam quæ dii largiuntur, ea omnes diligunt. Deus autem amore captus, affectui mederi maluit. Sic enim se habent huiusmodi virtutes, labore comparatæ, cum neque sine vigilijs virtutem acquirere liceat. Quam obrem laborabat amator, & amando amicum non comprehendit, quoniam nulli licet perfectam virtutis cognitionem consequi. Vnde ferunt Poëtæ, Apollinem amare: non terram, non deorum naturam redarguendo: sed dum huius persecutionis causam, virtutis naturam esse ostendunt, id quod exprimit Apollo persequens, & persecuta Daphne: vt Deus sit, qui virtutem querit, ipsa verò virtus Daphne. Fugientem filiam mater suscepit: Nam mortalia omnia talem naturam acceperunt, vt ad ea à quibus genita sunt, festinent. Igitur Daphne è terra genita, ad terram concedit. Et terra puellam suscipiens, plantam emisit. Vtrunque opus terræ proprium, vt in hanc homines cadant, & arbores ab ea nascantur. Et nata arbor, Apollini honoris causa fuit. Dij enim extra suam prouidentiam, ne arbores quidem relinquunt, quinimò germinantibus frondibus coronantur. Nam terræ primitiæ Dijs dicantur. Et diuinationis arbor facta est indicium. Hoc autem conueniens puto.
- A possibili.** Daphnen enim Poëtarum multi sophronam, id est, temperatam appellant, ac oracula dare à temperantia provenit. Itaque quoniam puella voluptatis experta fuit, virtuti dicatur: nam qui intemperantia laborat, futura non prospicit. Quas ob res Poëtæ, vene-



ror, & mirandum in modum carmina colo.

Ab epilogo  
breui.

### Definitio communis loci.

**C**ommunis locus est sermo amplificatiuus bonorum aut malorum, quæ alicui insunt: sic appellatus, quòd omnibus, qui eius rei participes sunt, communiter conueniat. Nam contra proditorem oratio omnibus huiusmodi actionibus participibus communiter competit. Deuterologiæ, id est, argumentationi iam peractæ, & epilogo similis est. Quare communis locus proœmium nõ habet. Iuniorum tamen exercitationis causa quandã proœmij formam fingere poterimus, cui subdes capita, primũ, ex contrario, deinde inferes expositionẽ, non tanquam doceas (res enim cognita est) sed veluti auditorẽ incites: postquam comparisonem ex cõparatione introduces, argumentis colligendo illud, quod accusas maius esse re accusata: exempli causa tyrannũ longẽ atrociorẽ homicida: postmodum collocabis sententiam, caput sic vocatum, agentis mentem calumniando: deinceps digressionem, à coniectura præteritam rei vitam notãdo: deinde, misericordiæ exclusionem: in fine præexercitationis finalia capita, legitimum, iustum, vtile, possibile, honestum, ab euentu.

### Contra tyrannidis affectatorem.

**Q**vandoquidem stant leges, & in statu populari iudicia apud nos exercentur, legibus pœnã sustineat, qui leges de medio tollere querit. Nam si à presenti liberatus supplicio vitã populat.

Proœmium  
ab expositione.

B larem

larem ducturus esset, illi forsitan aliquis poenam remittere posset: postquam verò violentior futurus est, si præsens supplicium effugerit, quomodo iustum est, si in præsentia hunc absolueritis, sic vos tyrannidem constituere? Namq; omnes iudices ex reo-

**A contra-  
rio argumē-  
tum.**

rum absolute nullum detrimentū patiuntur: verum si tyrannus absoluetur, iudicibus ipsis damna infert: si enim tyrānus dominabitur, iudicia penitus tollentur. Videmini autem mihi posse in re præsenti diligentius examinare, si nostrorū maiorum iudicium considerabitis. Ut nobis progenitores benefacerent,

**Narratio.**

Rempub. à dominatu liberam excogitarunt, neque iniuriā: quādoquidem hominibus aliæ interdum fortunæ accidunt, quæ priores hominum sententias mutant. Illi ergo fortunæ inæqualitatem emendantes legum æqualitate, leges sanxerunt, quò vnā & eandem sententiam cunctis gignerent. Quapropter in ciuitatibus lex est correctio malorum, quæ fortuna causat. Quæ cum iste nihil respiceret, quoddam pessimum consilium iniuit, ut Reipub. leges solueret, talia que secum differuit: *Dij boni, cum ceteris maior sum, nunquid patiar, ut omninò meis popularibus æquer? fortunam que mihi diuinitus esse frustra largitam concedam, si eadem quæ vulgus patiar? congregati que pauperes iudicabunt? quodq; multis videbitur, id mihi tanquam lex obseruandum erit? Quæ igitur horum liberatio fiet? occupabo arcem, pessime que perdendas leges de medio tollam: ista que ratione multis lex ero, neque mihi populus lex erit. Hæc secum in cassum reuoluit: id*

**Lex.**

enim

enim decorum benignitas prohibuit. An ergo pro quibus gratiam dijs debemus, hæc eadem hodie tyrannum saluabunt? Atrox est homicida, sed tyrannus atrocior existit. Ille enim in obuium aliquem eadem committit: at hic omnes ciuitatis fortunas inuertit. Quo igitur minus est malum vnum, quam omnes necare, tanto minus homicida tyranno reprehendendus est. Atqui sequitur, omnes homines, licet grauissima commiserint, saltem à facinore sententiam excusare possint: verum tyrannus solus audaciam suam inuitam prætere nequibit. Itaque si inuito tyrannidem gerere aggressus fuisset, fortasse aliquis sententiæ gratia ipsum absolueret posset. Verum quandoquidē id consultò patrauit, quomodo crimen animo ante facinus perpetratum, culpa liberare iustum est? Igitur reliqui omnes rei apud vos præsentem tantum crimini obnoxij sunt, propter que anteactam vitam sæpius absoluuntur: solus verò tyrannus tum præsentem, tum præterita vitæ condennandus est, cum priorem vitam in rebus mediocribus nunquam duxerit, & ad præsens ijs que animo commisit, truculentior factus sit. Quamobrem pro vtrisque, & quibus nos antea, ac postmodum tristitia affecit, pœnas luat. Quinam ergo ipsum deprecando liberabunt? Per Iouem filij? Sed quando plorabunt, tunc leges adesse putate, pro quibus quàm pro huiuscemodi filius, longè iustius est iudicare: propter enim eius filios tyrannis confirmaretur: verum per leges vos iudicandi facultatem habuistis. Itaque per quas vos iudicandi ius acce-

A comparatione minoris.

Sententia. Causam dicere omnes possunt.

Digressio & coniectura.

Misericordia die exclusio.



**Legitimum** pistis, iustius est pro ipsis suffragia feratis. Atqui si  
**Iustum.** lex est, patriæ liberatores honorandos esse, restat ut  
**Vtile.** tyrānos, qui illam in seruitutem redigere volunt, pu-  
**Facile.** niatis. Itaque iustum est, ut eam à vobis pœnam sub-  
**Possibile.** eat, quam in vos ipse struxit. Si enim tyrannus oc-  
 cumbet, id vobis vtile fiet: quoniam firma præstru-  
 ctio confirmandi leges erit. Facile verò pœnam de  
 præsentis sumere poteritis: non enim auxiliaribus so-  
 cijs in opprimendo tyranno opus erit, quemadmodū  
 ipsi in tyrannide occupanda, necesse erat. Verūm  
 iudicium suffragia sufficient, ut omnem tyrannidis  
 potentiam destruat.

Definitio laudationis.

**Demonstra-  
 tiuū genus  
 dicendi.**

**Hymnus.**

**Enconium.**

**Epœna.**

**L**audatio est oratio bona, exprimēs quæ alicui  
 insunt, Græcè ἐγκώμιον appellata, eò quòd  
 ἐγκώμιος, id est, in vijs, antiquitus canebant.  
 Nam antiqui κώμας angiportus dicebant. Differt ab  
 hymno & epœno, quòd hymnus deorū sit, encomium  
 verò mortaliū: & quoniā epœnus paucis verbis fiat,  
 encomium autem secundum Rhetoricæ artem profe-  
 ratur. Laudandæ sunt personæ, res, tempora, loca,  
 animalia irrationalia, ad hæc plantæ. Personæ qui-  
 dem, ut Thucydides & Demosthenes. Res verò, ut  
 iustitia & temperantia. Tempora, ut ver, aut æstas.  
 Loca, ut portus, aut horti. Irrationalia animalia, ut  
 equus, aut bos. Plantæ, ut vitis, aut oliua. Laudandum  
 est communiter, & sigillatim: communiter quidem,  
 ut omnes Athenienses: sigillatim verò, ut Athenien-  
 sium vnus. Hæc igitur laudationis diuisio est, quam  
 his



his capitibus conficies: Procemiaberis secundum pro- Laudandi  
mos.  
positam materiam: deinde genus referes, quod in  
nationem, in patriam, in maiores, in parentes, diui-  
des: postea educationem recensebis, quam in posses-  
sionem, artemq; , ac leges diuides: deinde inferes res  
gestas, laudum maximum caput, quas in animum ac  
corpus, formas'que partieris: in animum quidem, ut  
in fortitudinem ac prudentiam: in corpus autem, ut in  
pulchritudinem, aut robur, aut velocitatem: in for-  
tunam verò, ut in principatum, diuitias'que, & ami-  
cos: post quæ comparationem ex alterius laudatione  
subdes, quod laudas, maius esse, aptè colligendo.  
Postremo epilogum voto quam simillimum.

### Laudatio Thucydidis.

**O** Peræprecium est, qui nobis vtilia excogita-  
runt, venerari, quibus humanæ vitæ pulcherris-  
ma compararunt, earumq; rerum inuentum ad  
illos referre decet. Igitur non iniuriâ Thucydidem  
pro literarum studijs commendabo: ac prærogatiua  
quadam ipsum in primis ob res gestas venerandum  
iudicabo. Pulchrum est omnes benefactores colere,  
sed eò magis Thucydidem præ cæteris, quòd rem  
omnium pulcherrimam inuenit. Nihil enim in terris  
literarum studijs præstantius, sapientiosem'que circa Literarum  
laus.  
illa Thucydide neminem inueniemus, qui natus est in  
vrbe, quæ ipsi vitam & artem præstitit: non enim  
alibi, sed vbi literarum studia nata esse creduntur,  
genitus est: Athenas'que vitæ suæ parentem sortitus,  
& progenitoribus regibus originem duxit: nataliumq; Genus

Bona, quæ illi abundè incrant, ex maiorū genere pro-  
cessere. Hæc igitur vtraque adeptus generis poten-  
tiam, & rempub. popularem, in vtriusque emēdationem ab vtraque gloriam & vtilitatem reportauit.

Propter enim Atheniensium Reipub. æqualitatem,  
ne pecunias iniustè compararet, effugit: & popula-  
rem, communem quæ inopiam generis splendore cæ-

Educatio.

lauit. Ex talibus oriundus in rempub. Atheniensium,  
& legibus, quæ cæteris omnibus præstantiores sunt,  
educatur. Cum autem simul & in armis viuere, &  
legibus decreuisset, idem etiam philosophari, & ex-  
ercitum ducere constituit, ne literarum studia armis  
priuaret, neque bellū à prudentia remoueret, vnamq;  
earum rerum, quæ eandem artem non habent, exerci-

Res gestæ.

tationem fecit, literarum studia bellumque, quæ na-  
turâ disincta sunt, in vnum complexus. Postquam  
verò ad ætatem robustam peruenit, sibi, vt ea, qui-  
bus se honestè exercuerat, laudaret, occasionem dari  
perquirebat. Mox igitur fortuna bellum suscitauit, ac  
ea quæ ab omnibus Græcis gesta fuere, sibi tanquam  
propria scribendo vendicauit: neque, quæ bellum con-

flauerat, interire sustinuit. Quæ enim singuli gesser-  
ant, longo tempore obliterari non permisit: vnde  
Plateæ captiuitas cognita est, deuastata res Atticæ  
vulgatæ sunt, Peloponnesusq; ab Atheniensium na-  
uibus circumnauigata, monumentis mandata est. Na-  
uales pugnas vidit Naupactus. Quæ omnia in obscu-  
ro iacere historicus Thucydides nō passus est. Lesbi  
captiuitas nostris etiam tēporibus celebratur, neque  
pugnā aduersus Ambraciotas commissam, longa tem-

poris

poris intercapedo abstulit. Lacedæmoniorum etiam sententia iniusta scitur: Sphaacteria, & Pylus, ingens Atheniensium facinus nō intercidit: vnde apud Athenienses Gorcyraei concionantur, quibus Corinthij contradicunt, Aeginenses vt Athenienses accusent, Lacedæmona accedunt: quamobrem Archidamas infestam concionem habuit. Cæterum Steneleidas ad pugnam Lacedæmonios concitare conatus est. Prætereâ quomodò Laconicâ legationem spreuerit Pericles, neque Athenienses peste laborantes excandescere permiserit. Hæc autem omninò apud Thucydidem historicum in perpetuum custodiuntur. Proinde quis ei Herodotum comparabit? At hic quidem voluptatis gratia scribit: ille verò omnia veritatis gratia narrat. Igitur quod adulationis gratia scribitur, eò quòd veritatis causa dicitur, quanto inferius est, tanto Herodotus in rebus laudabilibus à Thucydide superatur. Multa nobis alia pro Thucydide dicenda supererant, nisi, si omnia persequi vellemus, nos laudum copia obrueret.

Cōparatio.

Epilogus.

## Sapientiæ laudatio.

**S**umma quidem felicitas est, sapientiam assequi: Proœmium  
 eam verò pro dignitate commendare, impossibile, cui felicitatis tantum superest, vt communis dijs possessio sit cōstituta. Nam deorū alius aliud aliquid exercuit. Iuno nuptijs præest: bellis cum Pallade Mars. Fabrilia, que igne perficiuntur, Vulcanus elaborauit. Dux nauigantibus, Neptunus est. Deniq; deorum hic & ille hanc illam que rem curauit, omnes



Genus.

autem sapientiæ participes fuere: sed præcipue ante omnes Iupiter: quo enim dijs potentior, eo omnibus sapientior est. Sapientia que Ioui regnum confirmavit, quam dii secum genitam adepti sunt. Unde id donum in terras descendit, deorum que filij sapientia sua maximam humanæ vitæ utilitatem intulerunt. Quapropter poëtæ laudem merentur, qui Palamedem & Nestorem, siue quempiam alium in primis sapientissimum canunt, & deorum filios confinxere: non quia deorū naturam haberent (Nam & ipsi dii fuissent, generisq; communiōe virtutis participes fuisse monstrarentur) sed quibus virtutem deorum compararunt propterea deorum filij crediti sunt. Illi enim à dijs geniti videntur, deorumq; pignora putantur, sapientia quorum id donum tanquā generis sui indicium præcessit: sapientia & pace, & bello principatum obtinet. Nam quædam res in pace tantum excellunt, quædam in bello solum admirandæ sunt. Sola omnium rerum sapientia, & pace & bello tanquā alteri mirandum in modum dedita dominari novit: in bello enim ita se gerit, ut omnino pacem nescire videatur: pacis autem ita particeps fit, tanquā bellum penitus ignoret: cui que rei præsit, solius esse credatur. Nam in pace leges sancit, ac omnes quietis species amplectitur. Verum in bello quomodo vincendum sit, ostendit. Hæc igitur primas in armis partes obtinet, neminem que sibi in popularibus concionibus superiorem esse patitur, & armatis, & togatis pariter dominari novit. Sola quæ deorum sunt sapientia discernit: sola enim tanquā  
 deus

deus futura cognoscit : ipsa terrarum cultum agricolas docuit , nautas'que nauigandum mare instituit : neque fructus sine sapientia colligere , neque nauem absque sapientiae gubernatore ascendere licebat.

Itaque quicquid abundè mare dilargitur , & mortalibus quaecunque terra praestat , hæc inuenta sapientiae fuerunt. Quæ in cælo sunt arcana , reuelauit : ipsa etenim quantum sol cursum perficit , quæq; astra circumit , sola hominibus sapientia indicauit.

Sapiens insuper terrena nouit , ac quid post obitum erimus , sola nos sapientia docuit. Hæc Troiam cepit , ac quam longa dies expugnare nequiuit , consilium sapiens subiugauit : vniuersamq; Troianorum vim diruit , vnius viri consilio , voti compos , sapientia effecta. Erutus Cyclopius oculus sagaci Vlyssis inuento. Quicquid igitur excellit , id à sapientia prouenit. Proinde quis ei robur comparabit ? Cæterum quod robur efficere non potest , id sapientia consequitur. Quòd si à robore prudentiam abstuleris , meritò vis corporis vituperabitur. Multa pro sapientia differenda supererant , verùm paucis cuncta complecti impossibile est.

Cōparatio.

Epilogus.

### Definitio vituperationis.

**V**ituperatio est sermo exponens mala , quæ alicui insunt : in hoc autem à loco communi differt , quòd communis locus punitiōem complectitur : vituperatio verò , solam calumniam continet . Diuiditur iisdem capitibus , quibus etiam laudatio , tot'que vituperare , quot etiam laudare oportet ,

set, personas, & res, tempora, & loca, irrationalia animalia, ad hæc plantas. Vituperandū est generatim, & speciatim. Post proœmium, genus collocabis, quod secundum laudationis præcepta diuides: deinde educationem, ac res gestas, comparisonemque, & epilogum, sicut in laudationibus, dispones.

### Vituperatio Philippi.

Proœmium

**N**Equè virtutem sine laude, neq; vitium sine vituperatione fas est præterire: quandoquidem bonos laudando, malos autem vituperando, idem emolumentum consequimur. Omnes igitur qui malè viuunt, malè audire merentur. Sed eo magis Philippus, quo omnes scelestos longè superauit, qui ex gente omnium barbarorum vilissima natus est: vt quæ diu incertas sedes præ timore tenuerit. Argui enim illos primum eiecerunt: deinde vagi ad eam, quam nunc obtinent, confugerunt. Itaque in duo dedecora, vt sedem incolendam haberent, incidere, dum præstantioribus cedunt, & deteriores se expellunt: vt tum imbecillitate, tum auaritia, nullum illis firmum locum incolere concessum sit.

Genus.

Huiusmodi gente oriundus, à deteriore vrbe processit. Barbarorum enim pessimi Macedones: Pella verò totius Macedoniae vilissima, in qua ciues turpiter seruiunt. Ab hac vrbe originem trahens, crudeliores patria ipsa maiores sortitus est. Nam Philippus, huius Philippi proauus, ignobilitate generis ad principatum non admissus est: deinde aduenis copijs pater Amyntas in regem assumptus fuit.

Expul



Expulsum enim Athenienses ab exilio reduxerunt. *Educatio.*  
 Talibus progenitoribus Philippus apud Athenienses  
 obses fuit, & quanquam inter Græcorum optimos  
 versaretur, mores tamen efferos nulla humana con-  
 suetudine mutauit. Verum inter Græca studia in-  
 temperantiam barbaricam præ se tulit, cum'que Græ-  
 ci à barbaris moribus & institutis differrent, utris-  
 que tamen infensus extitit, dum eandem in dissimili  
*Res gestæ.*  
 genere malignitatem exercet. Primò quidem genus  
 suum contra suos perfidus subiugauit: inde proxi-  
 mos inuadens, vastauit, Illyricis'que pœnas victor  
 addidit, ac Triballorum regionem incurrendo cepit,  
 tot'que nationes, quot infelici fortunæ expositæ  
 erant, subiugauit. Cæterum in pugna, barbarorum  
 corpora capiebat, eorum autem animos in potestatem  
 suam nequaquam redigebat. Verum armis subacti, de-  
 fectionem somniabant: ac si corporibus seruiabant,  
 mentis tamen discursu liberi erant: & dum sibi finiti-  
 mos barbaros adiungeret, recta contra Græcos via  
 procedebat. Primò quidem in Thracia Græcorum  
 oppida subiugauit, atque in deditiōem Amphipolim  
 recepit: Pydnam autem mancipium fecit, ac Poti-  
 daeam prædictis adiunxit, neque Pheras extra Pagas-  
 sas, neque Magnesian extra Pheras omisit: sed uni-  
 uersas Theſſalorum vrbes subiugauit, & veluti ad  
 seruiendum constructæ forent, id seruiendo ostende-  
 bant. Vitæ autem ipsius exitum etiam referre operæ-  
 præciū est. Nam ut vi multa subegit, ipse'que fœdera  
 contemnendo, fœderibus stantes captiuos faciebat,  
 sic dii propter ea quæ præter fidem cōmiserat irati,  
 necem

necem illi meritam intulerūt. Non enim ipsum in pugna occiderunt, neq; eius finis strenuum pugnatorem testem fecerunt, sed in ipsis voluptatibus confecerunt voluptates, pulchram Philippo parentationem facientes, ut & in vita & morte illas intemperantiae suae testes haberet. Proinde quis ei Echeto comparabit? At hic sanè articulorum summa abscindendo, reliqua corporis integra relinquebat: ille verò vniuersa cum omnibus membris detruncabat. Quò igitur totum quàm partem destruere crudelius est, eò Philippus Echeto immanior erat. Philippus autem dum viueret, à malis cessare nesciebat: mihi uerò illius scelerum orationi finem imponere conuenit.

Cōparatio.

Epilogus.

### Definitio comparationis.

**C**omparatio est sermo inuicem examinādus, ex oppositione maius aliquod comparato colligens, aut æquale. Oportet eos qui comparāt, aut bona bonis opponere, aut mala malis, aut parua maioribus conferre. Omnino comparatio duplex est, laudatio, aut vituperatio, vtpote ex laudatione & vituperatione composita. Omnis quidem comparationis locus admodum difficilis est, præsertim si parua maioribus conferas, tot autem comparare, quot etiam vituperare, ac laudare conuenit, personas, res, tempora, loca, irrationalia animalia, ad hæc plantas. Non opus est, ut qui comparationem faciunt, totum cum toto conferant (inefficax enim hoc est, neque acre) sed capiti caput componant: hoc enim vehemens, quoniam laudationem, non comparationem di-

uidere

uidere consueuimus . In hoc comparationis progymnasmate, non est comparatio caput, quia comparatio est tota præexercitatio.

### Comparatio Achillis & Hectoris.

**C**Vm virtutem virtuti comparare intenderem, **Proœmium**  
 Hectori filium Pelei comparare delegi: præciosæ etenim per se virtutes sunt: si verò comparantur, sublimiores existunt. Igitur ambo, etsi non ex eadem patria, vtraque tamen laudata, nati sunt: **Genus,**  
 ille enim ex Phthia, vnde Helladis cognomentum prouenit: hic verò è Troia, quam deorum primi condidere. Itaque vt è simili regione nasci pari laude celebrandum est, ita Achilli Hector non inferior fuit. Laudata vtriq; nati patria, eandem cognationem habuere. Vtrique enim à Ioue progeniti fuerunt: Achilles quidem ex Peleo, ex Aeaco autem Peleus, de' que Ioue Aeacus: ac Hector pariter ex Priamo & Laomedonte, Laomedon à Dardano processit, Iouis filius Dardanus fuit: progenitorem' que Iouem nacti, similes parentes habuerunt. Achilli quidem Aeacus, & Peleus, quorum ille Græcos à penuria liberauit: hic verò interemptis Lapithis, deam Thetidem coniugem, virtutis præmiũ meruit. Hectori autem progenitor Dardanus extitit, qui primum cum dijs vitam duxit. Priamus verò pater, vrbis à dijs constructæ dominus fuit. Ergo vt simile est cum dijs coire, ac vnà cum numinibus viuere, ita Hector Achilli similis fuit. Talibus nati progenitoribus, vtriq; ad fortitudinem educati sunt: Achilles quidem sub Chiro

**Educatio.**



Res gestæ.

ne, Hector verò sub Priamo, qui filio naturalia virtutis documenta contulit. Cum igitur ambo ad virtutem instituti essent, parè sibi rebus gestis gloriam compararunt. Nam cum primum virilem etatem ingressi sunt, idem sibi eodem bello robur vendicarunt. Primum enim Troianorum dux Hector fuit: dumq; viueret, Troia propugnator extitit, atq; à dijs adiutus, in bello perstitit, moriendo'que Troiam dirui præbuit. Achilles autè, in gerendo bello totius Græciæ princeps, Troianis'que omnibus metuendus, superior in pugna erat, in belloq; auxiliatricem Palladem habuit, ac Græcis moriendo gloriosam victoriam abstulit: & ille quidem victus à Pallade, sublatus est: hic verò ab Apolline ictus, concidit: amboq; à dijs progeniti, à dijs interiere, à quibus & genus, & vitæ finè acceperunt. Quàta igitur vtriusq; vitæ & mortis similitudo, tanta inter Achillem & Hectorè fuit. Pluraq; multò de vtriusque virtute dicenda supererant, nisi vterque suis operibus ac gestis, parem, admirandamq; gloriam obtineret.

Epilogus.

### Definitio Ethopœiæ.

vide cœlii.  
lib. 14. cap.  
28.

Ethopœia.

**E**thopœia est imitatio moris subiectæ personæ: huius autem tres sunt differentiæ, Idolopœia, Prosoopœia, Ethopœia. Est quidem Ethopœia, quæ personam cognitam habet: sed solum mores effingit, vide etiam Ethopœia appellatur: ut quænam verba Hercules imperâte Eurystheo dicere potuisset? hic enim Hercules cognitus est, dicitis autem mores ficti. Idolopœia est, quæ personam habet

Idolopœia.

habet cognitam, veruntamen mortuam, & ad dicendum impotentem: vt in comœdia *Δύμοις* finxit Eupolis, & Aristides in oratione pro Quatuor. Vnde etiam *Idolopœia* appellatur. *Profopopœia* est, quãdo omnia finguntur, & mores, & persona: quemadmodum Menander redargutionem fingit. Redargutio enim res quidem est, non autem persona. Vnde etiam *Profopopœia* appellatur. Nam cum moribus persona fingitur. Hęc igitur *Ethopœia* diuisio, cuius aliqua passiuã est, aliqua moralis, quædã mixta: ac passiuã in vniuersum affectum significat: vt quænam verba dicere posset Hecuba, cadente Troia. Moralis, solos mores affert: vt quænam verba mediterraneus vir primùm mare intuitus diceret. Mixta, quæ vtrunque, mores, & affectum complectitur: vt quænam verba Achilles super mortuo Patroclo diceret, cum pugnare decreuisset: mores enim sunt, cõsiliũ: affectus autem, amicus mortuus. *Ethopœiam* verò, dicendi forma dilucida, circumcisa, florida, dissoluta, ab omni perplexitate libera, atq; figura conficiens, eam'que quasi per capita in tria tempora, præsens, præteritum, & futurum diuides.

Profopopœia

ETHOPOEIA PASSIVA.

Quæ verba dicere posset Niobe  
iacentibus liberis.

Q Valem cum quali fortunam commuto filijs or- Præsens.  
bata, multiplici quondam sobole generosa?  
nunc verò copia in inopiam versa est: neque  
saltem vnius mater existo, quæ prius multorum vi-  
debar:

debar : quantò melius fuisset , si primò nunquàm pe-  
 perissem , quàm nunc in lacrymis parere . Quæ filijs  
 matres priuantur , longè sterilibus infeliciores sunt :  
 nam quod in consuetudinem venit , id si auferatur ,  
**Præteritū.** admodum triste fit . Sed hei mihi similem parenti for-  
 tunam sustineo : à Tantalo nata sum , qui cum dijs di-  
 scumbebat . Veruntamen postea à deorum consuetu-  
 dine excidi , ac Tantali filia meū infelicitatibus ge-  
 nus confirmo . Consueueram Latonæ , cuius causa in-  
 feliciter ago : eius enim familiaritate in liberorū per-  
 niciem vsa sum , deorumq; consuetudo mihi in calami-  
 tates vertitur . Priusquàm in Latonæ amicitiam per-  
 uenirem , beator mater eram : sed eius familiaris ef-  
 fecta , quam ante illius consuetudinem , multiplicem  
 prolem possidebam , perdo : nunc que mihi & maribus  
 & fœminis interemptis , lugendum est . Sed alijs in-  
 filiorum obitu luctus honestior , mihi propter maxi-  
 mum dolorem negatur . Quò vertar ? quid suscipiam ?  
 quale mihi ad omnium liberorum iacentium perniciẽ  
 sepulchrum sufficiet ? iusta mihi tot calamitatibus op-  
 pressæ omittuntur . Verum enimuerò cur hæc deploro ?  
**Futurum.** cum à dijs , vt me in aliam formam transmutent , impe-  
 trare liceat ? hanc solam ab infelicitatibus liberatio-  
 nem intueor , si ad insensibilia cõmutabor . Quinimò  
 amplius vereor , ne si in faxum mutata fuero , lacry-  
 mas adhuc fundam .

### Definitio descriptionis.

**D**escriptio est oratio expositiua , quæ rem si-  
 gnificatam ante oculos euidenter representat .  
 Descri-



Describendæ sunt personæ & res, tempora & loca, irrationalia animalia, insuper plantæ. Personæ quidem, vt Homerus in Odyssæa ad Eurybatè: Furvicol, humeris 'que rotundus, crine retortus. Res autem, vt naualis pugna, aut pedestris, quemadmodum Historicus facit. Tempora, vt ver, aut æstas, differendo quot in ipsis flores producuntur. Loca verò, vt idem Thucydides Theſprotarum portum tempestuosum, quam 'que teneat formam, dixit. Qui personas intendit describere, vt à primis ad vltima procedat, opus est, hoc est, à capite ad pedes. Res autem ab ijs quæ ante eas fuerūt, & quæcunq; ab illis solent euenire. Tempora verò & loca, à circumtinentibus, & ab ijs, quæ insunt eis. Descriptionum aliæ simplices, aliæ coniunctæ: & simplices quidem, vt si quis pedestres, aut nauales pugnas describeret. Coniunctæ verò, vt quæ res, & tempora cõiungunt: sicut Thucydides in Sicilia nocturnam naualem pugnam describit. Nam postquam, quomodò pugna gerebatur, descripsit, quomodò etiam per noctem se habebat, definiuit. Forma dicendi attenuata describentes vti oportet, descriptionem 'que variè figurare, ac omninò res, quas describet, imitari.

### Descriptio arcis Alexandriae.

**A**RCEs sanè in vrbibus ad communem vtilitatem cõstructæ sunt, vrbium enim vertices sunt: ipse autem muniuntur non minùs ædificijs, quàm ciuitates muniant. Et Atheniensium arx, in Athenarum vmbilico circumvallata fuit. Cæterum Alex-

C ander.

ander, suæ urbi, quæ ab illo cognomentum accepit, arcem construxit, quàm iustius Acropolim appellare licebit, quòd in urbis extremo & excelsò sita sit, quàm illam, qua multùm Athenienses gloriantur. Nam Alexandriae arcem ita quodammodò se habere referunt. Quidam à terra tumulus, vsque in multam altitudinem procedens, consurgit: his ergo duabus causis Acropolis appellata, quòdque in summum erigitur, & quoniam in urbis extremo condita fuit. Diuersi ad hanc accessus: hac enim via ducitur, illac verò ascensus est, appellationes que via mutant ab effectu ipso variè vocitatæ. Nam pedibus hæc ire licet, communisq; via est in curru vectis: illac autem accliu ascensus suspenduntur, quæ curru vehi impossibile sit. Scalæ enim super scalas semper consurgunt, utpote ab humiliori loco in altiorem agentes, neque donec ad centum gradus peruenerint, finiuntur: hic enim perfectus numerus scalarum terminus est. Scalæ vestibulum mediocribus cancellis circumseptum annectitur, ac columnæ quatuor maximæ consurgunt, quæ ad vnum multiplices vias introitum ducunt. Quædam columnis domus superstruitur, quæ multas mediocres columnas colorum variorum ostentat: sic ideò comparatas, ut affixæ atq; compactæ ornamento essent. Tectum domus rotundum, in quo cælum cum syderibus cælatum est. Dum ipsam arcem ingrederis, locus vnus in quatuor equalia latera diuisus est, cuius machinæ figura quadrata existit. At in meditullio, aula columnis vndecunque sustinetur, ac aulæ quidem porticus succedunt: porticus autem equalibus maximis colum-

nis distinctæ sunt. Singulæ porticus ad alteram transuersam terminantur, & binæ columnæ in alteram porticum intercedunt, rursus in alteram desinentes, ab altera rursus incipientes. Intra porticus domus constructæ sunt, quæ partim librorum armaria, studiosis ad lucubrandum exposita, continent, vniuersamque ciuitatem ad scientiarum facultatem aduocant: partim verò ad veterum deorum venerationem erectæ. Porticum verò lucanar deauratum, columnarumque capita ære elaborata, auroque illita sunt. Ornatus aule varius, qui Persei gesta partim continet: at in medio columna quædam altissima erigebatur, quæ loci illius index erat. Si quis enim ingrediebatur, quò vaderet, nequaquam intelligebat, nisi pro viarum signo columna utebatur: illa etiam terram arcisque arcem conspiciendam præbebat. In columnæ vertice, rerum principia circumstabant, ac priusquam in aule medium perueniretur, ædificium quoddam in tot portas diuisum, quot deorum antiquorum nomina sunt, erigebatur: lapidei autem obelisci duo consurgebant, fonsque laudabilior illo, qui à Pisistratidis Athenas deductus est: quodque mirum incredibileque videtur, idem fabrorum numerus, qui deorum fuit: tota enim Acropolis constructio duodecim fabros habuit, utpote vno ad huiusmodi structuram non sufficiente. Ab arce descendentes hæc quidem locus planus stadio perquam similis excipit, vnde etiam loco hoc nomen inditum est: illac verò locus alius superiori similiter distinctus: verum illi planicie & magnitudine impar. Cæterum præstantior huius arcis



forma est, quàm vt verbis exprimi possit. Si quid autẽ  
omissum, id miraculi causa factum est: nam quia com-  
modè dici non poterat, idcirco prætermissum fuit.

Definitio causæ.

**C**Ausa, quam Græci Thesis dicunt, est per ora-  
tionem rei consideratæ inspectio. Causarũ aliæ  
sunt ciuiles, aliæ speculatiuæ. Ciuiles quidem sunt,  
quæ rerum actionem ad ciuitatem pertinentiũ conti-  
nent: vt, An nubendum, an nauigandum, an ædifican-  
dum: hæc enim omnia si fiant, res ciuiles continent.  
Speculatiuæ verò, quæ sola mente considerantur: vt,  
An rotũdum sit cœlum, an multi sint mundi: hæc enim  
hominibus in actionem non cadunt, sola autem mente  
considerantur. Differt thesis ab hypothesisi, quòd hy-  
pothesis habet circumstantiam: thesis verò circumstan-  
tiam non habet. Circumstantia autem est persona, res,  
causa, & reliqua: vt hoc, An ædificandum, conside-  
ratio est, non habens personam: hoc autem, Adueni-  
entibus Persis, Lacedæmonij muris Spartam munire  
deliberant, hypothesis est. Personam enim habet, Lac-  
edæmonios cõsiderantẽ: rem verò, mœnibus munire:  
causam, aduenientes Personas. Thesis in præexerci-  
tamentis primùm contradictionem, & solutionem: se-  
cundùm, quæstionem admittit. Diuiditur ergo Thesis  
primùm quidem in Ephodum, sic appellatam, id est, in  
proœmium ex directo ad narrationem tendens. Illam  
enim proœmiorũ loco dices: deinde vteris finalibus  
locis, legitimo, iusto, vtili, possibili.

Causa an ducenda sit vxor.

**Q**VI totum breuibus commendare quærit, hic Procœmium  
 nuptias laudet, quæ à cœlo datæ sunt: quin= ex directo.  
 imò cœlum dijs replent, & deorum parentes  
 sunt, à quibus patris nomen processit: deos que pro=  
 ducentes naturam suam conseruandam dederunt: cum  
 postmodum in terras descēdissent, vniuersos reliquos  
 generarunt, mortiq; subiecta prætereundo, ea nuptiæ  
 per successiones durare excogitarunt. Primò qui=  
 dem homines ad fortitudinem hortantur. Nam cum  
 per nuptias liberi producantur, per quos bella ge=  
 runt, huiusmodi suis muneribus fortitudinē præstant:  
 deinde nos ad iustitiam cum fortitudine instituunt:  
 quoniam filiorum respectu, iniusta homines patrare  
 verentur. Itaque nuptiæ iustos & fortes efficiunt.  
 Prudentes insuper reddunt, dum parentes ad cha=  
 rissimis liberis prouidendum excitant. Prætereà  
 (quod mirandum est) nuptiæ secum temperantiam  
 ferunt, temperata que vita voluptatum copiæ  
 commiscetur: quandoquidem voluptatibus legem  
 imponunt: ergo per legem cum temperantia volu=  
 ptates præbent: quæ certè si solæ fuerint, repre=  
 hensione non carebunt: verum si nuptijs admisce=  
 antur, laudabuntur. Itaque si nuptiæ deos, & post  
 hos reliqua animalia producūt, fortes, iustos, sapien=  
 tes, temperatos efficiunt, quomodo totis viribus  
 enitendum non est, vt eas commendemus. Sanè dices:  
 Sed calamitatum causæ nuptiæ sunt. Fortunam mihi Contra=  
 videris, non nuptias accusare. Nam quæ homines ma: dictio.  
 lè patiuntur, ea fortuna causat, non autem nuptiæ: quæ solutio.  
 verò nuptiæ hominibus abundè largiuntur, hæc

nequaquam fortunæ bona sunt, quare nuptiæ propter bona, quæ secū ferunt, laudandæ potius sunt, quàm ob mala, quæ fortuna præbet, accusandæ. Quòd si etiã quæ hominibus pessima eueniunt, nuptijs ascribere mus, ideo ne ab illis abstinendum erit? an quæ alijs rebus difficultates & molestiæ insunt, nos à negotijs remouent? Si placet, quas cunq; artes diligenter scrutare, aliquid in singulis dignū reprehensione reperies. Agricolas tēpestates molestant, & grandinis calamitates conficiunt: hi tamen, licet à tempestatibus infestantur, agriculturam non deserunt: quinimò etiã si illos è cælo aliquid cōtristet, in terra excolenda perstant. Rursum naturæ infelices sunt ingruenteq; tēpestate naues perdunt, propterea tamen à nauigatione non desistunt, quoniã in quibusdam malè affecti sunt: verum ad fortunam, infelicitatem, deuectam copiã, ad maris beneficium referūt. Ad hæc & pugna, & bella, bellatorum corpora perdunt, non tamen quoniam bellando cadunt, pugnas deserunt: sed quia bellū gerendo laudantur, cadere contēti sunt, malum' que bono contegunt. Non enim bona propter mala fugienda sunt, sed bonorum causa mala sustinenda sunt. Itaque an absurdum est, agricolas ac nautas, omnes' que insuper milites, quæ sibi molestia sunt, bonorum gratia ferre: nos verò, quoniam triste aliquod secum trahunt, nuptias spernere? Sanè dices: Sed mulieribus viduitatem, filijs orbitatem afferunt. Hæc mortis mala iam nobis à natura dari consueta sunt. Tu autem mihi nuptias criminari videris, quòd homines immortales non efficiant, neque dijs mortales pares

Contra-  
dictio.  
Solutio.



res reddunt. Dic mihi cur nuptias pro ijs rebus quas mors operatur, accusas? cur quæ naturæ sunt nuptiarum esse dicis? concede cadere, quod ut cadat, natum est. Quòd si quidem, quia nati sunt homines, cadunt, cadendoque viduas coniuges, ac ex senatos, orbos reddunt: cur quæ solum natura facit, ea nuptias efficere dicis? Ego contra sentio, orbitatemque & viduitatem nuptias emendare contendo. Mortuus est alicui pater, ista que oratione filius orbis effectus est: verum alium orbo nuptiæ parentem contulerunt. Itaque non à nuptijs hæc calamitas procedit, sed potius nuptijs contegitur: quæ non adferunt orbitatem, quinimò auferunt. Proinde natura viduitatem morte inducit, quam nuptiæ matrimonio remouent. Quam enim mors viduam fecit, eam nuptiæ, veluti sui muneris conseruatrices, alteri viro coniungi prestitere. Nam quæ primum contulerunt, si auferantur, rursus concedunt. Igitur nuptiæ viduitatem auferre, non adferre consueuerunt. Pater insuper filios morte priuatur, sed priore amisso, dum alterum suscipit, pater iterum efficitur. Cur ergo in nuptijs pulchra nuptiarum dona culpas? Mihi nolle nuptias reprehendere, sed laudare videris. Nam quòd me nuptiarum munera recensere compulisti, earum laudator, non accusator effectus es, dum nuptias accusas, nosque illas laudare excitas: atque nuptiarum calumnias in beneficiorum catalogum vertis. Sanè dices: Sed nuptiæ laboribus plene sunt. Verumenimverò, quid melius quàm nuptiæ laborem remittere nouit? Omnes enim labores nuptijs tollun-

Contradictio.  
Solutio.

Epilogus.

tur: requies omninò est, in consuetudinem vxoris conuenire. Quanta viro uoluptas cum muliere concumbere? quanta cum voluptate filius expectatur? & expectatus editur? natusq; patrem appellat? atq; ad alicuius professionis studium vadit? ac patri adiutor existit? & apud populi frequentiam concionatur? parentemq; in senectute alit? demum talis, qualem optimum decuit, euadit? Nequeo paucis completiquæ bona nuptias comittentur: ipsæ adeò admirandæ sunt, vt & deos producant, mortalesq; deos uideri præstent, dum illos continuè reparant: ac omnes, qui nuptijs inittantur, iustitiam colunt, temperantiam respiciunt, abunde que licitis & probatis voluptatibus fruuntur. Itaque optimè constitutum fuit, vt præ cæteris omnibus nuptias plurimi faciamus.

### Definitio promulgationis legis.

Definitio  
legis.

**P**romulgationem legis quidam etiam præexercitationem esse tradiderunt: est enim ferè tota hypothesis, non tamen omnia quæ sunt in hypothesis continet: in ipsa namque, persona, non semper tamen cognita introducitur: unde maior est thesi, minor autem hypotesi: quoniam omninò sub quadam figura personam recipit, maior est thesi: sed quia circumstantiam manifestam non habet, minor est hypothesis. Legis ergo promulgatio duplex est exercitatio, defensio, & accusatio legis conditæ. Est autem lex inuentum, & donum deorum, communis verò ciuitatis consensus, & rerum tam diuinarum quam humanarum correctio. Hæc quidem promulgationis legis di-

gis diuisio est: iisdem autem capitibus, quibus negocialem, ipsam conficies, legitimo, iusto, utili, possibili: proemia facies legi cōuenientia: post quæ pones caput appellatum contrarium: deinde prædicta capita: vnde etiam in hoc differt à thesi.

### Accusatio legis iubentis adulterum in ipso adulterio interfici.

**N**Equè penitus legem laudabo, neque omninò Proemium  
scriptum accusabo. Nam quòd adulterorum  
crimina prohibet, hanc constitutionem com-  
probo, quòd autem iudicibus suffragia non permi-  
serit, hanc sanctionem improbo. Siquidem ne iu-  
dices donis corrumpentur, verebatur, ideoque  
iudicandi ius illis abstulit: illam malè de iudicibus  
sensisse arguitur. Sin autem vos iudices integer-  
rimos, vt estis, existimauit, quomodo conuenit lau-  
dare quidem iudices, sed iudicibus iudicandi ius au-  
ferre? Omnes præterea leges aliæ, quæ legibus  
contrariæ sunt, partim harum ciuitatum institutis Cōtrarium.  
contrariæ sunt, partim cum alijs conueniunt: verùm  
sola præsens lex, contra, alias omnes lata est.  
Videmini autem mihi hanc legem longè pruden-  
tius examinaturi esse, si quæcunque in Repub. no-  
stra constituta sunt, consideraueritis. Imperatores,  
sacerdotia, decreta, omnia (vt ita dixerim) quæ-  
cunque præmio digna in bello geruntur, vestro iu-  
dicio subiecta sunt. Imperator vestro suffragio  
creatur. Sacerdotium, quem iudices confirmarunt,  
gerit: quòdque à patribus decernitur, si populus iu-



dex sanciuerit, pro rato habetur. Neque strenui in bello præmijs donantur, nisi ea prius a iudicibus diiudicata fuerint. Quomodò igitur non absonum, iudicibus omnia subesse, solam verò præsentem legem iudicum suffragium effugere? Sanè deces: Sed atrocia sunt mæchorum crimina. Quid autem homicidarum scelera, non'ne sunt maiora? an'ne proditores alijs scelestis minores arbitramur? An'ne sacrilegi proditoribus peiores sunt? Veruntamen in his criminibus deprehensus, iudicum examini subiaceret: neque proditor, nisi reus à iudicibus peractus fuerit, pœnas luit: neque aliquid mali pati sacrilegos fas est, priusquàm eorum delicta iudices cognouerint. Ergo, non'ne absurdum, maiora crimina pœnam apud iudices luere, neque horum aliquod, nisi iudicibus decernentibus, condemnari: solum verò adulterum sine cognitione interfici? quem in primis, quia leuior in eo, quàm in cæteris culpa est, iudicum examini subicere oportuit? At quid differt adulterum occidere, an iudicibus tradere, si par ab utrisque supplicium subibit? Quantum inter tyrannum & legem, inter popularem statum, ac vnius principatum differt, tantùm ista inter se deuersa sunt. Tyrannus enim vnumquemque pro libidine sua interficere potest: lege autem conuictum, iustè occidere licet. Populus quidem in concionibus quæcunque tractat, examini subiaceret: at rerum dominus, etiam indicta causa occidit: contra populus & lex, in dicta causa, non occidit: sed omnia ab rerum dominis & tyrannis diuersa facit. Itaque

Contradictio.

Solutio.

Contradictio.

Solutio.

quomodo non est diuersum, adulterum occidere, & iudicibus tradere? Ad hæc, qui sui causa adulterum interficit, se delinquentis dominum facit: at qui illum apud iudices postulat, confessum iudicum dominum rei facit. Igitur satius est iudicem quam accusatorem dominum fieri. Præterea, qui sui causa adulterum necat, ob aliam rationem occidisse suspectus est: at qui iudicandum offert, sola iura tutari videtur. Sanè dices: Sed si statim occideret, atrocius supplicium subibit: quoniam si ad iudices deferretur, illam temporis intercapedinem pro lucro habebit. Imò si iudicibus subiicietur, secus fiet, interea enim tristiore vitam sustinebit. Nam qui poenam expectat, maius supplicium quam si illam passus illico fuisset, sentit: ac poenæ dilatio, additio poenæ videtur: qui que se mori credit, sæpius morietur, grauius que erit mortem expectare, quam mori: quare, si derepente necabitur adulter, non sentiet. Improvisa poena sensum aufert, insperata mors dolorem non sentit: sæpius autem expectata, semel verò illata, poenas expectatione auget. Considerate igitur ex comparatione, siquidem accusator, dum sui causa adulterum occidit, nullum ultionis suæ testem producere potest: verum si iudicibus examinandum tradiderit, iudicij multos spectatores habebit: poenæ autem genus, quæ multis spectantibus infertur, tristius est. Alioqui adulteris, ut secretò interimantur, expedit: multi enim non adulteri, sed inimicitiarum causa concidisse suspicabuntur: verum si à iudicibus rei peracti fuerint, moriendo

Contradictio.


Solutio.

Contradi-  
ctio.  
Solutio.

riendo iustissimum supplicium patientur. Itaque plu-  
rimum inter se differt, adulter, an occultè trucidetur,  
an iudicibus tradatur. Res atrox est adulter, vt qui  
iniquitatis genus omne excessit. Ergo primum con-  
uincatur, deinde excrucietur, potiusq; iudicetur,  
quàm pœnam indicta causa luat. Si enim adulter pu-  
blicè necabitur, parentibus certiolem filiorum sobo-  
lem dabit. Neq; enim in posterum, cuius aliquis fi-  
lius sit, sublatis adulteris dubitabitur. Adulteriū est  
commune naturæ scelus: vnde etiam tantum facinus,  
commune iudicium suffragium tollat. Quàm ego ve-  
reor, ne quòd adulter secretò interficitur, sui similes  
multos relinquat. Nam quia cur occidatur, nes-  
citur, eius studia multi imitabuntur, hu-  
iuscemodiq; pœna non adulterij  
finis, sed exordium erit.

F I N I S.




**IOANNIS LAV-**  
 rentij Palmyreni Scholia  
 in Aphthonium.



Etus est illa sententia amice lector: Non potest esse delectus, ubi de numero laboratur. Expleant alij suis commentarijs longas paginas, quibus auram popularem captent: varios farciant centones. Nos alium scopum habemus. Monet Theon: ut ludimagister ex classicis autoribus locos quosdam iuuenibus memoriae commendandos eligat. Hac molestia paedagogos hoc scholiolo liberare voluimus. Theonis verba haec sunt:

Πρωτον μὲν ἀπάντων χρεῖ τ' διδάσκαλον, ἐκάστου γυμνάσματος εὐέχοντα παραδείγματα ἐκ τῶν παλαιῶν συγγραμμάτων ἀναλεγόμενον, πρὸς ἀπὸ τοῖς νέοις ἐκμανθάνειν. Nos igitur quoniam scholiaste personam suscepimus, laconica brevitate

nitate

uitate rem ipsam persequemur. Sat enim  
erit digito fontem quærere volētibus in-  
dicasse. Reliqua quæ studiosum torque-  
re possunt, collatione translationum cog-  
noscentur. Habet enim noster Aphtho-  
nius quatuor insignes rei literariæ pro-  
ceres, qui opusculum hoc latinitate do-  
narunt, nempe Redolphū Agricolam,  
Priscianum, Antoniū Bonfinem, Ioan-  
nem Mariam Catanæum. Cæterū libel-  
li huius vtilitatem verborum phaleris  
extollere superuacaneum fuerit: quan-  
doquidem Fabius hæc. 14. opera mino-  
ra oratoriæ facultatis candidato in pri-  
mis necessaria esse præcepit. Porro fa-  
bula, narratio, chria, sententia, thesis  
ad deliberatoriū genus referuntur: Con-  
futatio, confirmatio, locus cōmunis ad  
iudiciale: Laus verò, vituperatio, imi-  
tatio, comparatio, demonstratorio tri-  
buuntur.

Fabula.

## Fabula.

A poëtis] lege Suidam ubi cōmonstrat Hesiodum annis. 103. Aesopo antiquiorē. Quint. lib. 5. cap. 11. Qua etiā oratores] ut Menenius Agrippa. Demofthenes in asini umbra. & Herodes Atticus ut habet Gellius lib. 19. cap. 12. Philosophi interdum fabulis utuntur Macrobi. lib. 1. cap. 2. de Som. Plato lib. 2. de Republica, Cicero. 3. de offici, de Gygis anulo. Ceterum qua ratione fabulae in pauca cōtrahi aut dilatari debeant, habes apud Priscianum. Exemplum habes apud Erasmiū in adagio, Scarabeus aquilam querit. Apud Apulciū de Coruo & vulpe, apud Horatium de mure urbano, Apud Gellium lib. 2. cap. 29. de Cassita. Fabulam accipitris & lusciniae quam recenset Hesiodus lib. 1. τὸν ἔργων καὶ κλισίων, his capitibus dilatare poteris. A laude autoris, à praefabulari, à natura accipitris, à fermocinatiōe per prosopopœia, à collatione, à cōtrario, cōclusio tādē sequetur.

## Narratio.

Remotū genus narrationis est, quod docet Aphthonius, alia genera tradit lib. 1. Trapezūtius, hoc quia à causa ciuili remotū est, remotū appellatur. Exemplū habes apud Ouidiū lib. de Mutatione formarū. 4. de Pyramo & Thysbe. haec est narratio fabulosa, qua infelicē exitū corū qui amant, cōmonstrat. Narrationem historicā dabit Orosius lib. 2. cap. 8. de Cyro. Narrationē ciuilem habet Cicero in Milomiana, cum inquit. P. Clodius cum statuisset. vsq; ad in tali rē facere voluisset. Idē Cicero breuem & dilucidā dabit



in oratione Pompeiana, cum inquit, Atq; ut inde mea profiscatur oratio. Vsq; ab hostibus metui præterea neminem.

## Chria.

Quæ hætenus docuit Aphthonius facilitate iuuenes alliciunt, at ubi ad chriam ventum est, protinus animum despondent. unde, inquit, imperitus ipse parabolas mihi comparabo? qui naturæ arcana prorsus ignoro. Unde exēpla, destitutus historiae cognitione? Unde vetus testimoniū? Bono animo este iuuenes. extat libellus Eras. Roterodami, cui titulus est Parabolæ. Hic est vobis in similitudinibus permultū auxiliij allaturus. Exempla suppeditabunt Rasinusius Textor in officina. Valer. Max. fulgosus & libellus cui titulus exempla virtutū & vitiorum. Testimonium vetus præbet abunde liber, cui titulus Polyanthea, aut Octauiani, quem inscripsit flores poetarum, aut Erasmi adagia.

Punitio] κόλασις est in Græco codice, legè Gellium lib. 6. cap. 14. Exempla chriarum elegantissima reperies apud Stephanum Nigrū, & apud Ciceronem lib. officiorū 3. statim in ipso exordio. Lege Cœliū Rhodiginū lectionū antiquarum lib. 26. cap. 27.

## Sententia.

Exemplum sententiæ eleganter tractatum habes apud Priscianum, sententias autem aut gnomas habes apud Stobæum Græcum autorem.

.. Confuta-

## Confutatio.

Lege Fabium Quintilianum. lib. 2. cap. 4. lib. 5. cap. 3. Habes elegantissimam cōfutationem apud Titum Liuium cū. M. Porcius Cato consul sc̄dum Bacchanalium ritum reprehendit.

## Confirmatio.

Quisquis vituperat] Quoniam hoc loco variant latina exemplaria nos ad verbum conuertemus τῶν τῶν ἀντιρῶν αὐτῶν ἀντιρῶν ἀντιρῶν τῶν μῦθῶν, id est, poëtis contradicens ipsis contradicere videtur musis.

## Locus communis.

Loci communes sunt, quas rerum formas appellāt, quæ ferè in vsum rerum humanarum & literarum cadunt, vt fortuna, opes, paupertas, & his contraria. Lege Rodolphum Agric. in Epistola de ratione stud. & Erasmm de copia rerum.

Sunt item qui alia in causa ab accusatoribus, alia à defensoribus comiter tractantur. Horum locus cōmunis augere peccati atrocitatem, & dicere malorum non oportere misereri. Illorum misericordiam captare, & illata crimina extenuare.

Item communes loci cū accusatorum tum defensorum à testibus cōtra testes, à questionibus &c. Cicero ad Herenn. 3. Trapezunt. Rhetor. 2.

Communes loci iuxta Aphthonium sunt, quibus

D

citra

citra personam in ipsa vitia mortis erat perorare, vt  
 in adulterum, aleatorem. Fab. lib. 2. cap. 4. Dicuntur  
 communes quia quamuis contra hunc aut illum dici vi  
 deantur, tamen ad vniuersos criminis reos efferan-  
 tur necesse est. Trapezunt.

Augmentans inquit Aphthonius, id est, per locum  
 cōmunem amplificamus vel augemus virtutes, quæ bo  
 nis: vel crimina quæ sceleratis insunt. Illic per con-  
 quæstionē misericordia captatur, hīc peccatorū atro-  
 citas exaugetur. Lege ad Herenniiū lib. 2. Rodolph.  
 Agricola lib. 2. cap. 14.

## Capita loci communis contra Ebrium.

<i>Exordium</i>	<i>Ab expositione</i>
<i>A contrario</i>	<i>A comparatione</i>
	<i>A sententia</i>

Seneca Epistola. 12. ebrietas voluntaria insania.

A vita antecedente, poteris illius vultum pallidum  
 depingere ob antecedentem ebrietatem, cuius mala  
 habet Plin. lib. 1. 14. cap. vltimo.

<i>A misericordiae exclusione</i>	<i>Vtili</i>
<i>A legitimo</i>	<i>Possibili</i>
<i>Honesto</i>	<i>Euenturum</i>
	<i>Epilogus</i>

Idem



Idem argumentum tractatur elegantissime à Petro Mosellano.

In sacrilegium habes exemplum  
apud Priscianum.

## Laus.

Quæ ad laudem faciant elegantissime tradidit Gerardus Bucoldianus in libris de inuentione oratoria. Is vrbes, homines, fluuios egregie laudat.

## Comparatio.

Habes apud Plutarchum exempla comparationis Publicolæ & Solonis. Alcibiadis & Coriolani. Periclis & Fabij.

## Ethopœia.

Lege Quintilianum lib. 9. cap. 2. Habes exempla apud Libaniū Græca ab Erasmo latina facta, hoc est, declamationem Andromachæ aut Medæ. Quanam dixit Cornelia victo Pompeio apud Plutarchum in vita Pompeij, & Cleopatra ad Antonij Sepulchrum in vita Antonij.

## Descriptio.

Hanc explicat elegatissime Lodoicus Viues in sua Rhetorica, & Erasmus in secundo copia. Exempla vbi reperiuntur tradit Erasmus. Potes etiam legere Hilarionis vitam apud Diuum Hieronymum vbi diu

*Antonij habitationem describit. Lucanus lib. 9. serpentes describit.*

## Thesis.

*Fab. lib. 3. cap. 5. lib. 2. cap. 1. Erasmus in libello de conscribendis epistolis.*

## Legislatio.

*Fab. lib. 2. cap. 4.*

FINIS.

Q V O M O D O  
 S T A T V S C O G N O  
 S C E M V S S E C V N =  
 D V M H E R M O G E =  
 N E M .



V M dubia erit secundum es Coniectu-  
 sentiam iudicatio, statum facit ralis.  
 coniecturalem.

Cùm aperta est in obscuro Finitio.  
 nomine, facit finitionem.

Cùm licentiam vel legis, Absoluta.  
 vel artis, vel naturæ propo-  
 nit, constituit Antilepsim, id est, absolutam.

Cùm nō inuitus quis futuri spe officij peccarit, An- Cōparatio.  
 tistafim, id est, comparisonem.

Cùm accuset, quòd meritò, qui passus sit, patiatur, Recrimi-  
 Anteclima, id est, recriminationem. natio.

Cùm non fecerit quæ opus erat, lege vel persona Translatio  
 prohibitus, Metastafim, id est, translationē criminis. criminis.

Cùm nō eorum quæ opus sunt quid fecerit, vel ti- Depreca-  
 more, vel affectu quouis alio animi inuitus adductus, tio.  
 Signomin, id est, deprecationem decernatur.

Cùm scriptum aliquod approbatur, & considera- Negotialis.  
 tur de futuro, vel donationis ambigua datio, nego-  
 tialem facit.

Cùm legis sententiam oppones benè meriturus, Scriptū &  
 ex scripto & sententia status orietur. sententia.

D 3 Cùm



- Contrariae leges.** Cùm legem legi oppones, vel parti partem, Antonomiam facit, id est, ex contrarijs legibus.
- Ratiocinationio.** Cùm scriptum cum scripto cõparabis, ratiocinationem.
- Amphibologia.** Cùm de tono, vel distinctione syllabarum homonymie, amphibologiam facit.
- Remotio criminis.** Cùm per circumstantias quis accusatur cum edicto concordans, Metalepsim, id est, remotionem criminis, aut iubente lege paragraphen facit.
- Cõiectura.** Coniectura proprium est, in accusabile esse factũ, signo tamen aliquo venire in iudicium.
- Definitio.** Definitionis verò est relinquere aliquid, quo appositio omnis facti controuersia remouetur.
- Antilepsis.** Antilepsios est, factum suapte natura reprehendi non posse, sed extrinsecus ostendi.
- Anristas.** Antistaseos autem, nihil quæri, neque benefactũ, nec malefactum.
- Antencle.** Antenclimatis, id est, recriminationis est, accusatores defendere, & defensores accusare.
- Deprecationis est, fateri se fecisse malefictium: sed dicere id casu, aut fortuna accidisse.
- Negotialis est, de futuris rebus cõsultare: Scripti & sententiæ, scripto accusatorem, sententia verò defensorem niti.
- Recriminationis est, posito scripto quod vetet, aliud quoque vetans aliunde ostendere.
- Antinomia.** Antinomie est alicuius legem præuaricasse.
- Amphibo.** Amphibologie est, scripto plura significare.
- Metalepsis.** Metalepsios est, circumstantias plura quàm factũ ipsum complecti.

Fabula igitur in tribus vti possumus: in iudiciali, Fabula  
deliberatiuo, & demonstratiuo, in quibus etiam nar-  
ratione vtimur. vsus.

Chria verò, in iudiciali, & deliberatiuo, simili Chria.  
modo & confirmatione.

Laudatiuum proprie continebit genus, vitam &  
alia, quæ in eo diximus.

Cōparatio.

Vituperatio verò quæcunque & laudatiuum.

Ethopœia.

Comparatione in demonstratiuo, & iudiciali.

Ethopœia etiam moralium personarum in iudicia-  
li & demonstratiuo.

Descriptione item in iudiciali & laudatiuo.

Loco communi in iudiciali vti conueniet.

Locus com-  
munis.

FINIS.

ANTONIVS  
SANAHVIA BIBLIOPOLA  
STVDIOSO.



HEC sunt quæ tibi de statu cognoscendorum ratione Hermogenes acri ingenio acrique iudicio scripta reliquit. Nec est cur mireris tantum virum tanta breuitate fuisse visum: siquidem dilucida breuitas cum in omnibus, tum verò maximè hac in re laudanda est. Si enim res hæc abstrusa, magnis, vt ita dicam, voluminibus, à duobus præstantissimis oratoribus

ribus, Cicerone & Quintiliano, agitata vix dū elu-  
cescit : non 'ne meritò Hermogenes laudādus est, qui  
duobus veluti præscriptis verbis, nodosam rem peni-  
tus tibi explicuerit? Itaque non est (si optimè tibi cō-  
sulere velis, dum breuitati studes) cur aliorum hac  
de re scripta diutius euoluas : quandoquidem ex hoc  
vno Hermogene, veluti è perenni fonte, quicquid  
in tuum vsum transferre volueris, exhauries. Sed  
quoniam aliò properantem meres vocat, nec plura  
his de rebus dicere statuam, vnū hoc interim te scire  
volo, ne quod tibi lucem aliquam sit allaturum, id  
ipsum te fugere sentiam. Quare existimes velim  
Ioan. Catanæum Aphthonij interpretem, non ad vn-  
guem (vt aiunt) Græcum exemplar secutum fuisse:  
quædam enim ab impresso Græco exemplari diuersa  
offendes : quoniam nunc hac, nunc verò illa ductus  
lectione, quædam probauit, quædam verò non  
admisit. Vale, & me ad maiora currentem  
tua æquanimitate amplectere.

Caleñ. Octob. Valeñ.

I 5 5 2.

Vidit Thomas Real.